



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

An sibi convenient duo nostri Authoris dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

parendum, si & Iudices, qui non obediētes Cœcere debent, intelligere possint quando his obtemperatum non est. Id quod fieri non posset, si à postrema Confessione, quæ arbitraria cuique esse potest, annuitium ducendum foret.

13. Hæc Comitulus, & ne verbum quidem amplius. In quibus nulla profus mentio probabilitatis, nulla de ejus vi disputatio, nihil de opinione, quæ stet, vel minus stet pro lege; sed solum docet, legem debere esse certam, fixam, & certa, fixaque habere tempora. Quæ quidem recte esse dicta, quis ambigat? Quo ergo organico instrumento, Baroni, isthæc trahis ad probabilitatem, qua de agimus: fortasse ex illis verbis (leges debere esse fixas, ac certas) sed non advertis, id dici ex parte objecti; id est, quod ipsæ leges certæ & fixæ esse debent à legislatore latæ; nostra autem quæstio est ex parte actus; an scilicet homo possit putare probabiles, vel non probabiles rationes pro dicta lege, vel contra ipsam. At nimis subtiles istæ distinctiones videbuntur amico nostro, quamvis illæ sint hodie etiam Tironibus logicis compertissimæ.

14. Progrediamur ad Suarium, quem sic refert Baronius.

Valde Suarius illius (Comituli) sententiam valere, &c. si sanctat res de necessitate mediæ vel causa, &c.

15. Nimis indistincte affert sententiam Suarii, & tamen distinctio in aliquot libris Baroni favet. Duo hoc in loco T. 4. d. 26. sec. 6. à num. 5. docet Suarius, in materia Jurisdictionis ad absolvendum à peccatis; ut item in materia de Baptismo, deque aliis Sacramentis, debere semper eligi tutiorem viam, & probabiliorem, omisso probabili. Posterius in quacumque alia materia universali, quæ pertineat ad factum conscientia, idem esse sentiendum. Non refero ejus verba, fateor enim ita illum sentire in citato loco. Sed pronuntio, quoad prius, in eadem omnino esse sententiam Tamburin. cum Suario, ut viderelicet ei, qui leget, lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. num. suo 20. ubi ipse agit de Ministro Sacramentorum. Quo ad posterius, fateor etiam id Suarium dicere in hoc loco, sed incidenter (nam alibi, ubi de hoc ex professo tractat, favet legitimæ probabilitati; ut mox num. meo 19. videbis cum Sanchez) sed noster Tamburin. alios Auctores, & eundem Suarium in hoc alio, ut dixi, loco secutus est, cum limitationibus tamen supra explicatis. Quare si ex fide Baronius loqui voluisset, dicendum illi erat, Tamburin. secutum esse Suarium in eo loco, ubi de re ex professo tractat.

16. Denique accedamus ad Thomam Sanchez loco cit. à Baronio, qui sic illum refert.

BARON. Sanchez credit, sin toto vita decursu sectanda sit hæc sententia, versanti ad minus in articulo mortis esse eligendam, ne de aternitate periclitetur.

17. Dicis ergo, si bene tua dicta interpretor, Baroni, Thomam Sanchez docere, sin toto vita decursu non sectanda sit sententia eligens partem tutam, vel probabiliorem, omisso probabili, saltem esse eligendam in articulo mortis, ne de aternitate periclitemur. Ita sane dicis, sed dicis falso. Nam Sanchez ait, etiam in articulo mortis sequentem opinionem probabilem non peccare, quia sequens opinionem probabilem, securus est à peccato; sed addit, si quis habeat peccatum, quod probabiliter credat, non esse mortale, licet ob probabilitatem, quam habet, non teneatur illud confiteri, quia sequitur

opinionem probabilem; tamen, quia coram Deo illud peccatum forte vere fuit mortale, illud excusat à culpa, non tamen remittit peccatum, si forte verum fuit. Hæc Sanchez. Falso legitur, roridus dicit, Sanchez absolute velle, ut sententia probabilis non eligatur in articulo mortis; peccatum enim eligi periculum, etiam cum, sed cum aliter applicatione.

Hæc autem sunt verba Sanchez l. 1. c. 1. in Dec. c. 1. à num. 75. quæ libenter hic adscribo, quia præter id, de quo nunc disputamus, faciunt ad totam quæstionem de Probabilitate.

18. TH. SANCH. num. 75. Hæc autem agitur, quid in Dubio. Superest quando Iudicium est probabilis, seu Opinio. Salas ait, licet tamquam probabilis opinetur Penitens non esse aliquod peccatum mortale, vel jam Confessione detectum, tamen cum, ad illud confitendum, &c.

Sed dicendum est, non teneri hunc, si tamen peccatum quod probabilis opinione credit, non esse mortale, quia quispiam licite operari, sequendo probabilem sententiam, satis probavi c. præ. num. 14. nec contrarius Ecclesiæ testimonio aliquo ostenditur.

19. Atque ita docent Rosella, Sylvest. Gerl. Henquez, Suar. To. 3. in 3. p. d. 22. sec. 9. num. 3. d. 4. qui optimè eo num. 16. ait, hoc esse verum, etsi huiusmodi tamquam probabilis, illud esse peccatum mortale, non teneatur quis sequi probabilis opinionem, si satis est probabilem, ut satis probavi cap. præced. num. 14.

Nota Suarium hoc in loco, ubi de probabilitate serio tractat (ut vel cæcus in ejus Textu citatus habet) non favere solum, sed legitimam omnem probabilitatem amplecti.

Verum pergit Sanchez.

21. Atque eadem ratione idem est dicendum, quia Penitens probabiliter opinatur, se id peccatum fecisse, quamvis probabiliter credat oppositum. Sic Suar. qui non obfure etiam docuit Navar. &c.

Et paulò post, id est, sequenti num. 77.

22. Hinc ait, excipit Henriquez, nisi Penitens in mortis articulo, tunc enim ait, teneri illam contrariam peccato, quamvis probabiliter credat, non esse mortale, quia etsi opinio probabilis excuset à culpa, non supplet tamen necessarium remissioni peccatorum medium; si forte hoc coram Deo fuit mortale: ubi de confessione ipse dixit; & quidem mirro, quia probabilis opinio eum excusat à confessionis precepto, & ei periculo defectus remedii necessarii ad remissionem, si forte fuit mortale, subvenitur satis contritio illa, cum id non teneatur, durante ea opinione, tamen & contritio illa remittit id peccatum in ordine ad clare Beata. &c.

Hæc Sanchez, qui, ut legitur, nimis perspicue docet, probabilitatem vim suam excusandam à culpa peccati, etiam in articulo mortis, quamvis non ponat illi, seu supplendi illud, quod est de necessitate mediæ. Hoc enim posterius nullus, vel taxativus Probabilista somniavit.

CAPVT XXVI

An sibi convenient duo nostri Auctores dicta.

1. Sibi pugnantia docuisse Auctorem nostrum, Sicut dixi, Baronium, vidimus supra ca. 21. num.

ad meo num. 26. Simile quid in præsentia cavillatur, i. e. §. 2. fol. 79.

BARON. Sibi ipsi (Tamburinus) repugnat, &c. Audisti, ad securitatem conscientie ipsum requirere probabilitatem opinionis ab extrinseco tantum, & ab Authore; vel ab intrinseco, & argumentis. Sed quasi huius doctrinæ ipsum pœneret, utramque permiscet probabilitatem; dum responder lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. ad illud quæsitum. An Auctoritas unius Doctōris sufficiat ad probabilitatem tutam. Respondet, inquam, unum sufficere contra innumeros, si doctus sit, rem ex professo tractet, firmam rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Arqui hæc omnia ad probabilitatem intrinsecam pertinent.

2. Dicis ergo Tamburini repugnantiam in eo consistere, quod in priore loco requirat ad securitatem conscientie probabilitatem, vel extrinsecam, vel intrinsecam, ac in posteriore miscet probabilitates, & requirit ad dictam securitatem utramque; hoc est probabilitatem, tum extrinsecam, tum intrinsecam.

Verè usurpabo de te puerile illud, & tritum, *legere, & non intelligere, est negligere*; intellexistine doctrinam Tamburini, unde colligas in posteriore loco ipsum requirere ad securitatem conscientie utramque probabilitatem? Immo ipse in hoc posteriore loco signatè dicit, satis esse extrinsecam; exscribamus hic textum Tamburini lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. num. 5.

3. TAMB. Tunc solum puto, sufficere unum, tametsi contra innumeros Doctores is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque pro se rationem habeat; nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Ita A. & R. V. Ratio est, quia ex tali Authore sic vallato nascitur

merito prudens iudicium. Quod si ejusmodi Doctōr ratione alicujus momenti non fulciatur; idque tu Doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere: cū tamen possit indoctus. Ratio est; quia tibi non potest tunc innasæ iudicium prudens: Indocto potest; vel certe illum (Authorem) sequi eidem indocto, qui sine culpa ei Doctōri fidem habet, culpa non datur.

4. Dico (regulariter) nam potest contingere, ut ille, sit adeo doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minus a te penetratam, vel notam, & item judicare, ipsum, rationem eius in contrarium tibi probatissimam, facile posse diluere; in hoc enim eventu ejus Opinionem, utpote EXTRINSECE probabilem, si amplectaris, prudenter ages. Hactenus Tamburinus.

Equidem lego hic, posse Indoctum, qui non novit rationem, quā fulcitur ille Doctōr, hujus sententiam sequi. Id quod quidnam est, nisi meta, puraq; probabilitas extrinseca? Et clariùs lego in postremis productis lineis (utpote EXTRINSECE probabilem) ergo quibus tu perspicillis adjutus legisti tantum (ut ais) INTRINSECE? Verum id factum est, ut noveris, amice Baroni, in quos errores te abripuerit maledicendi Orexis.

6. Sed vela contrahamus; atque arma defensiva pro veritate hactenus, quasi paraspisten, tractasse, sit satis: arma enim offensiva ab aliis impugnator expectet. Meum interim Præceptorem iis verbis folabor, quæ S. Hieronymus usurpavit in Epistola ad Farlam de viduitate servanda.

S. HIERONYM. Fieri non potest, ut absque morfu hominum vita hujus curricula quis transeat.

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Sancto Michaëli meæ Civitatis
Caltanissettensis Patrono.

